GREGORIUS · VENANTIO EPO LUNEN ·

FRATERNITATIS uestrae adeo nobis sollicitudi
nem placuisse rescribimus. Ut studii nostri esset ·
ea quę uoluistis affectu complere. Quia ergo scripsis
tis. ut personam transmittere deberemus. Quae in
monasterio quod in ciuitate uestra situm est. abbatissę
regere [l gerere] possit officium · quam diuina misericordia
suffragante. regimini eiusdem monasterii strenuo
posse arbitramur existere. illuc preuidimus dirigen
dam · ut a uobis deo protegente abbatissa debeat ordina
ri. Nam nos et hic oratione tantummodo subuenimus.
Quia igitur memoratam ancillam dei ad uestram uolun
tatem · et scripta transmisimus · hortamur ut circa pr̄a
monasterium que ipsius. fraternitas uestra sollicitudi
nem gerat · atque degentem illic congregationem · in
ihu dei et redemptoris nostri seruicio · adhortationis suę
bonorum [l bono] corroboret. Et ita se ubicumque necesse
fuerit. et iam erga exterio[es] utilitates eius exhibeat · ut
conuersantes ibidem. magnum in uobis subsidium sicut
decet inueniant. et nullius rei eas necessitas deprimat.
Quatenus dum uobis prouidentibus. omnis eis fuerit amo
ta necessitas. in oratione et dei laudibus. assidue secura
ualeant mente persistere. sic etenim agitur. ut et illis
electa conuersio ad salutem · et uobis proficiat ad merce
dem. Nam gratia prius maior adquiritur. si de commissis
ouibus. lucrum offerat domino sollicitudo pastoris.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
STAATSBIBLIOTHEK BAMBERG
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Staatsbibliothek Bamberg
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/sbbam_mscpatr69/0401